J. Parkman

ANIC. MANL. TORQ. SEVER.

BOETHII

DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ

PARS PRIMA.



ANIC. MANL. TORQ. SEVER.

BOETHII

DE CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ

LIBRI QUINQUE.

Recensuit, emendavit, edidit,

JOHAN. EREMITA.

Jean François [illegible]

PARISIIS,

Sumptibus LAMY, Bibliopolæ, ad ripam Augustinianorum.

M. DCC. LXXXIII.

LECTORI SAPIENTIÆ STUDIOSO.

Aliquod operæ pretium facturus credidi, lector erudite, si quem in conferendis emendandisque Boethii de Consolatione Philosophiæ libris laborem insumpsi, juris eum publici facerem, tuoque utendum arbitrio permitterem. Cùm autem id à me susceptum laboris est, non hoc habui propositum, ut laboriosâ ac sterili commentariorum, animadversionum, variarumque le-

ctionum farragine parvæ molis opus in ingentem cresceret. Hoc tantùm volui, ut, philosophici hujus operis aliquot inter se collatis editionibus, Nurembergensi præsertim anno 1476 ab Ant. Koburger publicatâ, quantùm fieri potuit accuratâ, nitidaque compta charactere, citrà fucum omnem prodiret hæc nostra, formâque ideò contracta breviori, ut quotidianis ille tuis possit usibus inservire, qui tuas in ætate virili facturus est delicias & in senectute solatium. Deerat certè

huic tàm insigni viro nobile hoc habitæ apud posteros memoriæ monumentum ; neque sapientiæ stantem à partibus debuit cura levis tangere, cùm, neglectis veterum scriptis utilibus, tot inter nos adeò futilia, fructumque nullum ferentia ; tanto typorum apparatu chartarumque luxu conspicua vulgarentur. Quorum sanè partem aliquam meruit author reverendus : non eam tamen quæ putribus Romanensium, Elegiarum, Idylliorum, Basiorum & Hortulorum ineptiis decus affert.

vacuum ; ſed eam quæ Philoſophiæ ſervat ac decet majeſtatem. Hoc ergò ſimplici quidem , at mundo , veſtitus habitu ſcriptor mundiſſimus tuos hodiè , lector erudite , ſollicitat oculos , ardetque felicem illam ſuam tuis animis inſtillare ſapientiam. Non ad te venit faſtoſi ſub umbrâ nominis : ſuos ſibi ſatis eſſe titulos perſuaſus , petitum extrà ſe ſplendorem non curat , in hoc uno ſollicitus , ut facilem docilemque audientis aurem inveniat. Neque profectò opportuniori tem-

poris articulo potuit in lucem denuò prodire, & tanquam à tumulo surgere, Philosophus ille noster, quàm in eâ sæculi vertigine, cùm, neglectis honestis omnibus quæ sola nobis vitam hanc optabilem possunt efficere, vili & egeno metallo omnes omnium vultus inhiant & animi; cùm vel maximis opibus fides nulla sit reliqua, opulentiamque summam egestas summa comitetur; cùm insana libidinum cupiditas eò usque sæviat, ut maxima pars hominum, plenam desideriis suis

datura licentiam, fortunarum suarum non vereatur facere periculum, sortisque aleam instabilem experiri; cùm in hoc uno sint occupati, ut æs alienum quoquo modo contrahant datam scriptisque obligatam creditoribus fidem fraudaturi; denique, quod infortunii deploratissimum genus est, cùm ad id angustiarum multi redigantur, ut violentas sibi manus inferre seque de medio tollere cogantur, cùm à pristino fortunæ statu dejecti tristem paupertatis conditionem

ac miseriam simul & existimationis ruinam propinquantem sentiant. Ad Philosophum ergò accede confidenter; non parva hausurus Philosophiæ documenta. Si fortunæ donis potentem inveniat, quis illorum sit usus, quis honos; quæ fides habenda docebit: sin contrà sævientem sentias, quæ ab eâ pateris incommoda expertus olim leniet, motus animi pacabit turbidos; & quem infortunii statum vetera reputando cogitas, vertet in sortem beatitudinis. Hîc ab eo quæ

vera ſit illa cognoſces, communique forſan errore deluſum animum ab inani perituræ felicitatis umbrâ ad veram diùque duraturam convertet. Legenti tibi veniet ſanè deſiderium quis tantus fuerit ille vir audiendi. Hoc namque nobis eſt à naturâ tributum, ut, qui præſtant ingenio viri, vultum eorum dùm vivunt cupiamus intueri, mores autem ac vitæ inſtituta, ſi fato ceſſiſſe contigit. Quòd enim ſuprà communem hominum conditionem emineant, inde ſit ut humanas

ſuprà vires ingenii corporiſque robur naſcentibus obtigiſſe videatur. Habes itaque præmiſſam operi variis à ſcriptoribus excerptam Boethii vitam, ſed eam in compendium redactam, ac in præcipuis temporibus occupatam. Quas autem à Græcis ſumpſit author ſententias, latinâ illas ad finem interpretatione donavimus, ut majori legentium parti veniret auxilio. Quam etiam ob cauſam non parùm operi utilitatis venturum putavimus, ſi de metris Boethianis compendioſa

præiret expositio, ut quæ sit singuli mensura carminis appareret. Vale, lector erudite, nostrumque hunc, quisquis ille sit, boni laborem consule.



ANIC.

ANIC. MANL. TORQ. SEVER.

BOETHII VITA

A Bertio, Martiano Rota, & Callyo scriptoribus excerpta, & in compendium redacta.

ANICIUS Manlius Severinus Boethius, Romanus, & nobilitate majorum animique dotibus clarus, lucem tunc hausit temporis, cùm Italia à Barbaris oppressa tenebatur. Natus enim est non ita multis post annis, quàm ab Alarico Roma caperetur, regisque Theodorici

tempestate floruit. Majores habuit Anicios & Manlios, tantæ veteres apud Romanos authoritatis, paucos ut habuerint pares, superiores certè nullos. Quis namque, vel Romanam historiam leviter admodùm edoctus, Manlium illum nesciat, de quo Virgilianum illud memoratur, *sævumque securi aspice Torquatum.* Patre denique usus est *Boethio*, vel, ut à quibusdam scribitur, *Boetko;* quod ei nomen à græcâ voce *βοηθὸς*, h. e. *auxiliator*, derivatum volunt. Duodecim annos natus parentem amisit, puerumque deso-

latum cura ſuſcepit amicorum, ac Romæ primùm, deinde Athenis ſtuduit; qui tantùm in Grammaticâ, Philoſophiâ, Arithmeticâ, necnon & Mathematicis profecit diſciplinis, ut plura non Euclidis ſolùm & Nicomachi, Pythagoræ, Ptolemæi & Archimedis, verùm Ariſtotelis etiam opera latinis reddiderit: quos non ut interpres ſecutus, alia quædam adjecit ſua, quæ & ipſi πολυμαθέστατοι propria feciſſe non ſint dedignati. Hæc autem eorum fuiſſe præludia crediderim, quæ vir magnus mente magnâ agitabat. Philoſophiam

enim latinis litteris illuſtrare conſtituerat, non ut Varro Stoicam vel Tullius Academicam, ſed eam quæ cæteras obſcuravit ab Ariſtotele invectam, & à tot præſtantibus ingenio viris tam longè celebratam. Teſtis illa Boethii Logica, ubi, præter antiquas Porphyrii & Ariſtotelis opiniones, ſuam ipſe de *Categoriis*, *Diviſione*, *Definitione*, *Syllogiſmis*, doctrinam propoſuit. Teſtis opus illud in ſeptem partes diſtributum, quod Varronis exemplò *Hebdomadas* nominavit, in quibus multa docet de eo quod *bonum* eſt, & *unum*.

Quin & de Theologis optimè meritus scripsit arduum *de Trinitate* librum; simul & *de duabus naturis & unâ personâ Christi* contrà Nestorium & Eutychetem, quorum alter duabus in Christo naturis personas totidem adjungebat, alter verò naturam & personam unicam tuebatur. Sed quantò doctior Boethius, tantò majori studio virtutem coluit, suo erga Deum & homines officio functus diligenter. Fuit enim mirâ in Deum pietate, singulari in homines, miseros præsertim, benevolentiâ, nec non in pauperes libe-

ralis. Propter has animi dotes egregias factum eſt, ut præcipui in Republicâ viri juvenem ad maxima genitum ambire, & affinitates ſuas ipſi ultrò offerre voluerint: quos inter vir Conſularis, ac Senatûs princeps, filiam ſuam Elpidem Boethio propriam Feſtus dicaverit, ſtabilique connubio junxerit. Fuit autem Elpis iſta non probitatis tantùm, ſed & litterarum famâ celebris, inprimiſque Poetices. Inde juvenis admodùm maximis in Republicâ admotus honoribus, per eos ad ſummum tandem faſtigium pervenit, Con-

ſulatum : quo tempore Odoacer Herulus Phœbâ, Rugorum rege, victo captoque potitus eſt. Alterum deinde Conſulatum adiit, quando occupati in Italiâ regni annum agebat Theodoricus octavum decimum, ac Ravennæ locatâ regni ſede cuncta pro libidine adminiſtrabat. Quod cùm videret noſter, honeſtis animum diſciplinis applicuit, id ſibi tantùm ſupereſſe intelligens, quod foret homine dignum liberali. Dum hæc ageret, fidam illi & curarum, & gaudiorum, & ſtudiorum ſociam Elpidem mors abſtulit.

Quâ fato functâ, princeps Senatûs Symmachus filiam illi suam dedit in uxorem Rusticianam, ex eâque duos paterni avitique ingenii speciem præferentes filios, Symmachum & Boethium, suscepit. Qui quidem adhùc pueri gessere Consulatum, quorum & splendidam ipse pompam Philosophiæ verbis eleganter hoc modo describit. *Si quis rerum mortalium fructûs ullum beatitudinis pondus habet, poterit-ne illius memoria lucis quantâlibet ingruentium malorum mole deleri, cùm duos pariter liberos tuos domo provehi*

sub frequentiâ Patrum, sub plebis alacritate vidisti? Cùm, eisdem in Curiâ curules insidentibus; tu regiæ laudis orator ingenii gloriam facundiæque meruisti? Cùm in circo duorum medius Consulum circumfusæ multitudinis expectationem triumphali largitione satiasti? Secutus est posteà tertius ultimusque Boethii Consulatus, quem anno Christi DXXII cum Symmacho gessit socero; quam ad dignitatem non eum inquies ambitio, vel spes lucri sordida, vilia vilium animorum incitamenta, sed commune bonos in omnes

ſtudium impulit. Inde cum improbis graves illi & inexorabiles diſcordiæ, & pro tuendo jure ſpreta potentiorum ſemper offenſio. Primùm quidem Conigaſtum, vectigalium exactorem duriſſimum (quî ſcirent enim rigido metallo ſervientes ſenſus humanos ſentire?) in imbecillis cujuſque fortunas impetum facientem obvius excepit. Poſteà Triguillam, regiæ domûs præpoſitum, ab inceptâ perpetratâque jam prorsùs injuriâ dejecit. Miſeros etiam, infinitis quos calumniis impunita Barbarorum ſemper avaritia

vexabat, objectâ periculis autoritate protexit. Provincialium quoque fortunas tùm privatis rapinis, tùm publicis vectigalibus pessum dari non aliter, quàm qui patiebantur, indoluit. Cum, acerbæ famis tempore, gravis atque inexplicabilis indicta rei frumentariæ coemptio Campaniam provinciam inopiâ profligatura videretur, certamen adversùs præfectum Prætorii communis ratione commodi suscepit; rege cognoscente contendit; ac, ne coemptio exigeretur, evicit. Paulinum, Consularem virum, cu-

jus, opes Palatini jam canes & spe & ambitione devorabant, ab ipsis hiantium faucibus traxit. Ne Albinum, Consularem virum, præjudicatæ accusationis pœna corriperet, odiis se Cypriani delatoris opposuit; &, quod fuerat in eum Majestatis crimen delatum, cùm rex communis avidus exitii ad cunctum Senatûs ordinem transferre moliretur, universi innocentiam Senatûs multâ magnâque sui securitate periculi defendit. Talibus à Boethio gestis in Consulatu factum est, ut in eum undique odia flagraverint aulicorum,

corum, iramque sibi Theodorici regis conflaverit, apud quem sceleratis inimicorum artibus in suspicionem venit capti de mutando Reipublicæ statu, & vindicandâ in libertatem Italiâ, consilii. Nec defuere qui ansam hanc arriperent oppugnandi perdendique Consulis. Tres ergò perditissimis moribus homines, Gaudentius, Opilio Basiliusque, delatores inventi sunt. Quorum hic à regio pulsus olim ministerio in delationem sanctissimi nominis alieni æris necessitate compulsus est; priores autem duo ob innume-

ras multiplicesque fraudes exsilio damnati. Qui quidem, fuerit licet à rege mandatum ut, nisi præscriptum intrà diem Ravennâ urbe decederent, notas insigniti frontibus pellerentur, simul atque Boethii accusationem professi sunt, admissi repentè, auditi, regis in gratiam recepti, ac pristinæ fuere dignitati restituti. Summa verò accusationis hæc fuit: quòd Senatum Senatûsque authoritatem salvam voluerit; quòd delatorem, ne documenta deferret quibus Senatum Majestatis reum faceret, prohibuerit; quod Ana-

ſtaſio Imperatori miſerit de recuperandâ veteri libertate litteras; cujus in criminis fidem confictas quaſdam, tanquam à Boethio ſcriptas, proferebant: poſtremò quòd in ambitu dignitatis ſacrilegio, h. e. magicis artibus, conſcientiam polluerit. Purgaſſet nullo ſanè labore Boethius objecta ſibi crimina, ſi coràm delatores arguendi fuiſſet à Theodorico data ſibi licentia. Sed vel iratus oblatam ultionis occaſionem rex amittere, vel improbus excitatam à ſe calumniam diſſolvere noluit; tantumque falſis accuſationibus

& fictis criminibus tribuit fidem, ut Boethium Consulem absentem insontemque damnaverit, ac bonis pulsum omnibus, dignitatibus exutum, existimatione fœdatum, quingentis ab urbe passuum millibus Ticinum ablegarit. Ibi remotus à Bibliothecâ, vinculis obligatus, nec fuit otiosus, nec dolori manum dedit; sed à Philosophiâ petiit medicinam, quæ sola & animi potest ægritudinem levare, & in maximis angustiis sola est viri boni hæreditas. Hos itaque *de Consolatione Philosophiæ* libros elegantes Ciceronem imitatus

compoſuit. Nam ſicut Romanus orator, quo filiæ deſiderium levaret, de animorum immortalitate diſſerendo Tulliam vivere demonſtrat; ita noſter de falſo & vero Bono, deque Providentiâ mundi gubernatrice diſputat, & omnia non ſine voluntate divinâ mortalibus evenire declarat. Hoc tantùm Philoſophum inter & Oratorem ineſt diſcriminis, quòd in opere ſuo Tullius carmen non attigit, Boethius autem utramque miſcet orationem, hoc modo ingenium ſibi, quidquid tentaverit, nunquam defuiſſe teſta-

tus. Evenit autem ut, Philoſophicæ conſolationi dùm vacabat, prodierit à Juſtino Impe-ratore mandatum, quo Arianos omnes ſuis à ſedibus moveri juberet Epiſcopos, templaque ab illis celebrata Catholicis in uſum cedere. Quod ubi reſcivit Theodoricus, miſſis Conſtantinopolim legatis, à Juſtino poſtulavit ut Ariani Sacerdotes & Epiſcopi loco ſuo moti reſtituerentur ; ſin minùs, ut ille Arianos in Aſiâ, ſic ſe Catholicos in Italiâ habiturum. Cùm autem in itinere opinione diutiùs legati morarentur, tum iræ

impotens Theodoricus Boethium & Symmachum exconſules, præcipuoſque ſani dogmatis defenſores, gladio necari imperavit.

Hic fuit viri clariſſimi finis, qui facundiâ, probitate, doctrinâ, plurimùm excelluit; omnium ultimus qui ex antiquis Romanis aliquid litteris mandaverint. Suo tamen ſcelere non longùm eſt lætatus Theodoricus; nocentemque ultio eſt inſecuta divinitùs. Ait namque Procopius, lib. *de Bello Gothorum* 1°. cænanti Tyranno piſcis cùm eſſet allatum caput,

visum esse sibi faciem in eo videre Symmachi labrum inferius dentibus apprehendentis, torvoque vultu fixis in regem luminibus minitantis: quo spectaculo consternatum, subito tremore corpus intremuisse, missoque clamoris sono spiritum reddidisse. Post obitum ejus filia Amalisuenta, quæ in regni hæreditatem venerat, patris acta contrà jus & fas decreta revocavit, Boethii statuas omnes Romæ prostratas erexit, & hæredibus patrimonium incolume reddidit. Rex quoque Theodobatus, quem Amali-

ſuenta ſoror ad regnum promoverat, quemdam Boethii conſanguineum principali inter aulicos munere donavit, virginemque illi regiæ ſtirpis oriundam accivit in uxorem. Decimo denique ſæculo, cùm oſſa Boethii neglectu lapſuque temporum jacerent minùs honorata, Otho tertius, Imperator, marmore illa juſſit includi, inſcripto elogio quod Ravennas Archiepiſcopus Gerbertus compoſuit.

Quantùm ad varias Boethii operum editiones, libelli hujus inter cæteros fortuna fuit ſplen-

didior. Paucæ namque admodùm fuerunt susceptæ reliquorum editiones, quorum tamen *Basileæ typis Petrinis* mandata, luculentis doctorum virorum commentariis illustrata, curisque *Henr. Loriti Glareani* recognita collectio prodiit iteratâ vice annis 1546 & 1570, *in-folio*. Sexcenties autem novâque semper cum voluptate typis vulgatus est libellus *de Consolatione Philosophiæ*. Cujus editiones recensere omnes neque vacat, neque lubet. Hoc tantùm eâ de re dictum sit à nobis, principem omnium edi-

tionem, cui *Divi Thomæ de Aquino, Doctoris Angelici*, sed veriùs *Thomæ* cujusdam Angli, commentationes accedunt, *Nurembergæ ab Ant. Koburger* impressam anno 1476 in lucem venisse; quam aliæ aliis sunt in locis insecutæ, in quibus eminent & quæ *Lugd. Batav.* cum *Vallini* & aliorum notis vulgatæ celebrantur an. 1656 & 1671, *in*-8°. & quæ *Parisiis* an. 1680, *in*-4°. curante *Pet. Callyo*, in usum *Ser. Galliarum Delphini.* Fuit autem tantæ apud antiquos tùm laudi, tùm venerationi, scitum hoc Boethii opusculum,

ut omni ferè dialecto, versum sit; adeò ut *Maximus Planudes*, nil moratus superbam Græcorum consuetudinem qui latini sermonis libros græcè reddere non solent, græco hunc sermone sit interpretatus; cujus operis codices exstant quatuor manu scripti in Bibliothecâ regiâ.



Variorum de Boethio & illius scriptis testimonia.

Priscianus Grammaticus, vir in Grammaticis, Rhetoricis, Philosophicis & Mathematicis versatissimus, libro *de Ponderibus & mensuris* Boethium ait probitatis & omnium scientiarum verticem attigisse.

Evodius, Episcopus Ticinensis, vir cùm strictâ, tùm solutâ oratione clarissimus, epistolarum libro 7°. hæc Boethio scribit ep. decimâ tertiâ : *tu in me, hominum emendatissime, dignaris prædicare virtutes, quem in annis puerilibus sine ætatis præjudicio industria fecit antiquum; qui per diligentiam imples omne*

quod cogitur; cui inter vitæ exordia ludus est lectionis assiduitas, & deliciæ sudor alienus; in cujus manibus duplicato igne rutilat quâ veteres face fulserunt. Nam quod vix majoribus circà extremitatem vitæ contigit, hoc tibi abundat in limine.

Procopius lib. *de Bello Gothorum* 1°. hæc habet, quæ sic latinè reddantur. *Symmachus & gener ejus Boethius Patricii, alto majorum editi sanguine, Romani Senatûs principes & Consules fuere; Philosophiæ & æquitati suprà cæteros mortales studuerunt, multisque tùm Romanorum egenis, tùm externorum, opibus suis subvenere. Hi ad ingentem gloriam evecti deterrimos quosque in suî invidiam excitâ-*

runt, quibus deferentibus persuasus rex Theodoricus, viros clarissimos nova tanquam molientes occidit, bonaque illorum omnia publicavit.

Laurentius Valla, vir eruditissimus, non modò Boethium latinè loqui profitetur, verùm eruditorum ultimum illum vocat.

Joh. Trithemius, Abbas Spanheimensis, *in Catalogo scriptorum Ecclesiast.* sic refert. *Boethius Manlius Severinus, Consul ordinarius Romæ, philosophus, orator & poeta insignis, in divinis scripturis doctus, & in sæcularibus litteris omnium suo tempore fuit eruditissimus. Vir græco & latino copiosè imbutus eloquio; quippe qui multa volumina tàm Aristotelis, quàm alio-*

rum Philosophorum; de Atticâ linguâ transtulerit in latinam; ingenio subtilis, sensu promptus, & sermone Tullio non inferior.

Julius Cæsar Scaliger, vir in republicâ litterariâ celeberrimus, Boethium in *Hypercritico* sic laudat. *Boethii Severini ingenium, ars, eruditio, sapientia, facilè provocat omnes authores, sive illi Græci sint, sive Latini. Sæculi barbarie soluta illius oratio deterior invenitur; at quæ libuit in poesi ludere, divina sanè sunt. Nihil illis cultius, nihil gravius; neque densitas sententiarum venerem, neque acumen abstulit candorem. Equidem censeo paucos cum illo comparari posse.*

Gregorius Gyraldus in dialogo quinto de Poetarum historiâ; *fuit*, inquit, *Boethius in omni disciplinâ egregiè doctus; sed in pangendis versibus mirâ usus est facultate.*

Gerard. Joh. Vossius *de Poetis Latinis* cap. 5. *Quibus*, inquit, *temporibus in Oriente Zeno posteàque Anastasius, in Italiâ Odoacer & exinde Theodoricus rexit, claruit Anic. Manl. Sever. Boethius, vir latinè & græcè doctissimus, in omni disciplinarum genere excellens, & quo à Varronis temporibus Roma non habuerit doctiorem. Quantùm idem carmine valuerit, ostendunt libri quinque de Consolatione Philosophiæ, quos exul*

Ticini scripsit. Nihil omninò in poesi venustius habuit illud ævum, vel etiam quod antè præcessit.



COMPENDIOSA *de metris Boethianis expositio.*

METRORUM genera, quibus in opere *de Consolatione Philosophiæ* usus est Boethius, sunt sex & viginti.

Metrum I. vocatur *Elegiacum*, constatque duplici versuum genere, hexametro scilicet *Heroico*, & pentametro. Bis usurpavit noster, *lib.* 1. *p.* 1. *lib.* 5. *p.* 140.

II. Dicitur *Alcmanium* ab inventoris nomine. Constat autem simplici versuum genere, conficiturque ex quatuor pedibus *Heroici* carminis, ita ut post secundum pedem syllaba supersit. Semel utitur, *lib.* 1. *p.* 6.

III. Constat ex duplici versuum

genere, quorum prior hexameter *Heroicus*, posterior tetrameter *Alcmanius* ad modum se fert *Heroici*, frequentiore tamen Dactylo. Semel invenies, *lib.* 1. *p.* 8.

IV. *Phalæcium* dicitur à Phalæco inventore. Constat autem simplici versuum genere, quorum quilibet *endecasyllabus* Spondæum recipit & Dactylum cum Trochæis tribus. Bis utitur, *lib.* 1. *p.* 12. *lib.* 3. *p.* 52.

V. A Pindaro dicitur *Pindaricum*, constatque simplici versuum genere, quorum quilibet tetrameter Spondæum, Anapæstum, Dactylumque cum novo Spondæo recipit: sed, his neglectis legibus, id unum curat Boethius ut sint illi quatuor pedes. Quinquies usurpatum reperitur, *lib.*

1. *p.* 26. *lib.* 3. p. 10. *lib.* 4. *p.* 126. *lib.* 5. *p.* 142. & 152.

VI. A Glycone vocatur *Glyconium*. Conſtat autem ſimplici verſuum genere, quorum trimeter quilibet Spondæum cum Dactylis duobus obtinet. Quinquies utitur, *lib.* 1. *p.* 31. *lib.* 2. *p.* 84. *lib.* 3. *p.* 71. *lib.* 4. *p.* 94. *lib.* 5. *p.* 162.

VII. Ab Adone regis Cypriorum filio dicitur *Adonium*, conſtatque ſimplici verſuum genere, quorum dimeter quilibet Dactylo Spondæoque componitur. Semel invenies, *lib.* 1. *p.* 37.

VIII. Ab Hypponacte dicitur Iambicum *Hypponactium*. Conſtat autem ſimplici verſuum genere, quorum quilibet ſex pedibus com-

positus paribus quidem Iambum ; imparibus verò Spondæum sæpiùs retinet. Bis utitur, *lib.* 2. *p.* 42. *lib.* 3. *p.* 62.

IX. Constat duplici versuum genere, quorum prior ab Asclepiade dictus *Asclepiadeus* Spondæum recipit Dactylumque cum syllabâ superstite quam duo deinde excipiunt Dactyli ; posterior autem à Pherecrate dictus *Pherecratius* Spondæo, vel Anapæsto, Dactyloque nititur cum altero Spondæo. Semel usurpat, *lib.* 2. *p.* 46.

X. Duplici constat versuum genere, quorum prior à Sapphone dictus *Sapphicus* fit ex Trochæo, Spondæo, Dactylo, & Trochæis duobus ; posterior vero totus est *Gly-*

conius, de quo suprà in metro VI. Semel utitur, *lib.* 2. *p.* 51.

XI. Duplici constat versuum genere, quorum prior ab Anacreonte dictus *Anacreontius* post primum pedem, sive sit ille Iambicus, Spondaicus, vel Anapæsticus, duos Iambos habet cum syllabâ superstite; posterior verò totus est *Pherecratius*, de quo in metro IX. Semel invenitur, *lib.* 2. *p.* 59.

XII. Constat simplici versuum genere, quorum quilibet tribus constat pedibus cum syllabâ superstite. Pes tertius semper Anapæstus, primus & secundus Spondæo nituntur & Anapæsto absque distinctione. Bis utitur noster, *lib.* 2. *p.* 68. *lib.* 3. *p.* 23.

XIII. Carmen est *Sapphicum* unius generis, de quo suprà in metro X. Bis invenies, *lib.* 2. *p.* 74. *lib.* 4. *p.* 132.

XIV. Duplici constat versuum genere, quorum prior Iambicus, ab Archilocho dictus *Archilochius*, sex pedes habet; locisque imparibus admittit interdùm Anapæstum: posterior verò quaternis tantùm nititur, & iis Iambicis. Semel utitur, *lib.* 2. *p.* 81.

XV. *Phaliscum* dicitur, constatque simplici versuum genere, quorum quilibet tribus Dactylis & Pyrrhichio componitur. Semel usurpatur, *lib.* 3. *p.* 3.

XVI. Constat duplici versuum genere, quorum prior Iambicus *Archi-*

Archilochius, de quo suprà in metro XIV; posterior pentameter *Elegiacus*, de quo in met. I. Semel in usu, *lib.* 3. *p.* 15.

XVII. Fit ex duplici versuum genere, quorum prior *Phalæcius* pentameter, de quo actum suprà in metro IV. posterior verò *Archilochius* tetrameter duobus Dactylis ac totidem Trochæis compositus. Semel habetur, *lib.* 3. *p.* 20.

XVIII. Duplici constat versuum genere, quorum prior *Alcmanius* trimeter tres pedes recipit *Heroici* carminis cum syllabâ superstite; posterior verò *Pherecratius* trimeter de quo in metro IX. Locum semel habet, *lib.* 3. *p.* 26.

XIX. *Anacreontium* dicitur, con-

ſtatque ſimplici verſuum genere, quorum trimeter quilibet Anapæſtum recipit cum duobus Iambis & ſyllabâ ſuperſtite. Semel obtinet, *lib.* 3. *p.* 28.

XX. Conſtat duplici verſuum genere, quorum prior *Aſclepiadeus*, de quo in met. IX. poſterior Iambicus *Archilochius* de quo in met. XIV. Semel in uſu, *lib.* 3. *p.* 31.

XXI. Vocatur *Heroicum*, conſtatque ſimplici verſuum genere, quorum quilibet hexameter Dactylum in quintâ, Spondæumque in ſextâ ſede recipit, horum non habito in cæteris diſcrimine. Semel uſurpatur, *lib.* 3. *p.* 39.

XXII. Conſtat duplici verſuum genere, quorum prior *Alcmanius*

tetrameter Dactylis componitur, de quo ſuprà in met. III. poſterior verò Iambicus tetrameter *Archilochius*, de quo jam in metro XIV. Semel invenitur, *lib.* 4. *p.* 76.

XXIII. Duplici conflatur verſuum genere, quorum primus quiſque Trochaicus *Alcmanius* Spondæum interdùm recipit; ſecundus *Pherecratius*, de quo ſuprà in met. IX. Semel eſt in uſu, *lib.* 4. *p.* 88.

XXIV. Conſtat duplici verſuum genere, quorum primus quiſque *Phalacius* pentameter, de quo meminimus in met. IV. ſecundus pentameter *Elegiacus*. Semel obtinet, *lib.* 4. *p.* 107.

XXV. Duplici conſtat verſuum genere, & eſt tetrametrum. Primus

quiſque verſus Trochæo ; Spondæo ſecundus incipit. Uterque tamen in ſecundâ ſede Spondæum , vel Iambum , vel Dactylum aſſumens cum ſyllabâ ſuperſtite, Dactylo & Spondæo terminatur. Verſum tamen excipe vigeſimum qui in primâ ſede Iambum , in ſecundâ verò Tribrachyn involvit. Semel uſurpatur, *lib.* 4. *p.* 109.

XXVI. Dicitur *Archilochium* ; conſtatque ſimplici verſuum genere ; quorum heptameter quilibet priores quatuor pedes à carmine obtinet *Heroico*, treſque cæteros totidem Trochæis numerat. Semel invenies , *lib.* 5. *p.* 168.

ARGUMENTA librorum de Consolatione Philosophiæ.

FORMA operis est dialogistica nec unius personæ. In Dialogo non interloquuntur nudæ personæ, sed sæpè intercedit ipse Boethius narrans non pauca, & filo suæ consuens orationis ea quæ tùm à se, tùm à Philosophiâ disseruntur. Dictio est varia, modò soluta, modò pedibus adstricta.

Libri sunt quinque. Primus querelam & lamentationem habet Boethii, ex collatione pristini statûs cum recente.

Secundo leviora quædam do-

loris fomenta applicat Philoſophia, docetque de fortunâ Boethium injuſtè queri.

Tertius certiora continet adversùs animi ægritudinem remedia, & rejectâ falſæ felicitatis imagine veram beatitudinem oſtendit.

Quartus demonſtrat Malos omnes imbecillos eſſe ac infelices, Bonos verò potentes ſemper & beatos. Hîc agitur de Fato Providentiâque divinâ, undè fortunam eſſe nullam, quæ ſit mala, concluditur.

Quintus eſt de Caſu, de libertate Arbitrii, concordiâque libertatis cum præſcientiâ divinâ.

ANIC.



ANIC. MANL. TORQ. SEVER.

BOETHII

DE CONSOLATIONE

PHILOSOPHIÆ

LIBER PRIMUS.

CARMINA qui quondam ſtudio florente peregi,
Flebilis heu! mœſtos cogor inire modos.
Ecce mihi laceræ dictant ſcribenda Camenæ,
Et veris Elegi fletibus ora rigant.
Has ſaltem nullus potuit pervincere terror
Ne noſtrum comites proſequerentur iter.
Gloria felicis olim viridiſque juventæ,
Solantur mœſti nunc mea fata ſenis.
Venit enim properata malis inopina ſenectus,
Et dolor ætatem juſſit adeſſe ſuam.
Intempeſtivi funduntur vertice cani,

Et tremit effœto corpore laxa cutis.
Mors hominum felix, quæ se nec dulcibus annis
Inserit, & mœstis sæpè vocata venit.
Eheu! quàm surdâ miseros avertitur aure,
Et flentes oculos claudere sæva negat!
Dum levibus malefida bonis fortuna faveret,
Penè caput tristis merserat hora meum.
Nunc, quia fallacem mutavit nubila vultum,
Protrahit ingratas impia vita moras.
Quid me felicem toties jactastis, amici?
Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

HÆc dùm tacitus mecum ipse reputarem, querimoniamque lacrymabilem styli officio designarem, adstitisse mihi suprà verticem visa est mulier reverendi admodùm vultûs, occulis ardentibus & ultrà communem hominum valentiam perspicacibus; colore vivido, atque inexhausti vigoris, quamvis ita ævi plena foret ut nullo modo nostræ crederetur ætatis; statura discretionis ambiguæ:

nam nunc quidem ad communem ſeſe hominum menſuram cohibebat, nunc verò pulſare cœlum ſummi verticis cacumine videbatur; quæ cùm caput altiùs extuliſſet, ipſum etiam cœlum penetrabat, reſpicientiumque hominum fruſtrabatur intuitum. Veſtes erant tenuiſſimis filis, ſubtili artificio, indiſſolubilique materiâ perfectæ; quas, uti poſt eâdem prodente cognovi, ſuis ipſa manibus texuerat: quarumque ſpeciem, veluti fumoſas ſolet imagines, caligo quædam neglectæ vetuſtatis obduxerat. Harum in extremo margine Π, in ſupremo verò Θ legebatur intextum; atque inter utraſque litteras, ſcalarum in modum, gradus quidam inſigniti videbantur, quibus

ab inferiore ad ſuperius elementum eſſet adſcenſus. Eandem tamen veſtem violentorum quorumdam ſciderant manus, & particulas, quas quiſque potuit, abſtulerant. Tùm dextera quidem ejus libellos, ſceptrum verò ſiniſtra geſtabat. Quæ ubi Poëticas vidit Muſas noſtro aſſiſtentes thoro fletibuſque meis verba dictantes, commota pauliſper ac torvis inflammata luminibus: quis, inquit, ſcenicas haſce meretriculas ad hunc ægrum permiſit accedere, quæ dolores ejus non modò nullis foverent remediis, verùm dulcibus alerent venenis? Hæ ſunt enim quæ infructuoſis affectuum ſpinis uberem fructibus rationis ſegetem necant, hominumque mentes aſſue-

faciunt morbo, non liberant. At si quem profanum, uti vulgò solitum, nobis blanditiæ vestræ detraherent, minùs molestè ferendum putarem. Nihil quippe in eo nostræ operæ læderentur. Hunc verò Eleaticis atque Academicis studiis innutritum? Sed abite potiùs Seirenes usque in exitium dulces, meisque hunc Musis curandum sanandumque relinquite. His ille chorus increpitus dejecit humi mœstior vultum, confessusque rubore verecundiam limen tristis excessit. At ego cujus acies lacrymis mersa caligarat, ne dignoscere possem quænam hæc esset mulier tam imperiosæ autoritatis, obstupui; visuque in terram defixo, quidnam esset deinceps actura expec-

tare tacitus cœpi. Tùm illa propiùs accedens in extremâ lectuli mei parte consedit, meumque intuens vultum luctu gravem atque in humum mœrore dejectum, his versibus de nostræ mentis perturbatione conquesta est.

HEU! quàm præcipiti mersa profundo
Mens hebet; &, propriâ luce relictâ,
Tendit in externas ire tenebras,
Terrenis quoties flatibus acta
Crescit in immensum noxia cura!
Hic quondam, cœlo liber aperto,
Suetus in æthereos ire meatus
Cernebat rosei lumina solis,
Visebat gelidæ sidera lunæ;
Et quæcunque vagos stella recursus
Exercet varios flexa per orbes,
Comprensam numeris victor habebat.
Quin etiam causas unde sonora
Flamina sollicitent æquora Ponti;
Quis volvat stabilem spiritus orbem;
Vel cur Hesperias sidus in undas
Casurum rutilo surgat ab ortu;

Quis placidas Veris temperet horas
Ut terras roſeis floribus ornet;
Quis dedit ut pleno fertilis anno
Autumnus gravidis influat uvis,
Rimari ſolitus, atque latentis
Naturæ varias reddere cauſas.
Nunc jacet effæto lumine mentis,
Et preſſus gravibus colla catenis
Declivemque gerens pondere vultum,
Cogitur heu! ſtolidam cernere terram.

SED medicinæ, inquit, opus eſt, non querelæ. Tùm verò totis in me intenta luminibus: tu ne ille es, ait, qui noſtro quondam lacte nutritus, noſtris educatus alimentis, in virilis animi robur evaſeras? Atqui talia contuleramus arma quæ, niſi priùs abjeciſſes, invictâ te firmitate tuerentur. Agnoſciſ-ne me? Quid taces? Pudore an ſtupore ſiluiſti? Mallem pudore; ſed te, ut video, ſtupor oppreſſit. Cumque me non modò taci-

tum, ſed elinguem prorſùs mutumque vidiſſet, admovit pectori meo leniter manum; &, nihil eſt, inquit, periculi; lethargum patitur, communem illuſarum mentium morbum. Sui paulisper oblitus eſt: recordabitur facilè, ſi quidem nos antè cognoverit. Quod ut poſſit, paulisper lumina ejus mortalium rerum nube caligantia tergamus. Hæc dixit, oculoſque meos fletibus undantes, contractâ in rugam veſte, ſiccavit.

TUNC me diſcuſsâ liquerunt nocte tenebræ,
Luminibuſque prior rediit vigor.
Ut, cùm præcipiti glomerantur ſidera Coro,
Nimboſiſque polus ſtetit imbribus;
Sol latet, ac, nondum cœlo venientibus aſtris,
Deſuper in terram nox funditur.
Hanc ſi Threicio Boreas emiſſus ab antro
Verberet, & clauſum reſeret diem;
Emicat, & ſubito vibratus lumine Phœbus
Mirantes oculos radiis ferit.

HAUD aliter tristitiæ nebulis dissolutis hausi cœlum, & ad cognoscendam medicantis faciem mentem recepi. Itaque ubi in eam deduxi oculos intuitumque defixi, respicio nutricem meam, in cujus ab adolescentiâ laribus versatus fueram, Philosophiam. Et quid, inquam, tu in has exilii nostri solitudines, ô omnium magistra virtutum, à superno cardine delapsa venisti? An ut tu quoque mecum rea falsis criminationibus agiteris? An, inquit, te, ô alumne, desererem; nec sarcinam, mei quam nominis invidiâ sustulisti, communicato tecum labore partirer? Atqui Philosophiæ fas non erat incomitatum relinquere iter innocentis. Meam scilicet criminationem ve-

rerer: &, quasi novum quid acciderit, perhorrescerem? Nunc enim primùm censes apud improbos mores lacessitam periculis esse sapientiam? Nonne apud veteres quoque, antè nostri Platonis ætatem, magnum sæpè certamen cum stultitiæ temeritate certavimus? Eodemque superstite præceptor ejus Socrates injustæ victoriam mortis, me adstante, promeruit? Cujus hæreditatem cùm deinceps Epicureum vulgus ac Stoicum, cæterique pro suâ quisque parte raptum ire molirentur, meque reclamantem renitentemque velut in partem prædæ traherent, vestem, meis quam ipsa manibus texueram, disciderunt, abreptisque ab eâ panniculis totam me sibi cessisse creden-

tes abiere. In quibus, quoniam nostri quædam habitûs vestigia videbantur, meos esse familiares imprudentia rata non nullos eorum profanæ multitudinis errore pervertit. Quod si nec Anaxagoræ fugam, nec Socratis venenum, nec Zenonis tormenta, quoniam sunt peregrina, novisti; at Canios, at Senecas, at Soranos, quorum nec pervetusta nec incelebris memoria est, scire potuisti. Quos nihil aliud in cladem detraxit, nisi quòd nostris moribus instituti studiis improborum dissimillimi viderentur. Itaque nihil est quòd mireris, si in hoc vitæ salo circumflantibus agitemur procellis, quibus hoc maximè propositum est, pessimis displicere. Quorum quidem tametsi nu-

merosus, spernendus tamen est exercitus, quoniam nullo duce regitur, sed errore tantùm temerè ac passim lymphante raptatur. Qui si quandò contrà nos aciem struens valentior incubuerit, nostra quidem dux suas in arcem copias contrahit: illi verò circa diripiendas inutiles sarcinulas occupantur. At nos desuper irridemus rerum vilissima quæque rapientes, securi totius furiosi tumultûs, eoque vallo muniti, quò grassanti stultitiæ adspirare fas non sit.

QUISQUIS composito serenus ævo
Fatum sub pedibus dedit superbum,
Fortunamque tuens utramque rectus
Invictum potuit tenere vultum;
Non illum rabies minæque Ponti
Versum funditùs excitantis æstum,
Nec ruptis quoties vagus caminis
Torquet fumificos Vesevus ignes,

Aut

Aut celsas soliti ferire turres
Ardentis via fulminis movebit.
Quid tantum miseri feros tyrannos
Miramur sine viribus furentes ?
Nec speres aliquid, nec extimescas;
Exarmaveris impotentis iram.
At quisquis trepidus pavet vel optat,
Quòd non sit stabilis suique juris,
Abjecit clypeum, locoque motus
Nectit, quâ valeat trahi, catenam.

SENTIS-NE, inquit, hæc, atque animo illabuntur tuo ? Es-ne ὄνος πρὸς λύραν ? Quid fles ? Quid lacrymis manas ? ἐξαύδα, μὴ κεῦθε νόῳ. Si operam medicantis expectas, vulnus detegas oportet. Tùm ego collecto in vires animo : Anne adhuc eget admonitione, nec per se satis eminet fortunæ in nos sævientis asperitas ? Nihilne te ipsa loci facies movet ? Hæccine est Bibliotheca, quam certissimam tibi sedem nostris

in laribus ipſa delegeras; in quâ mecum ſæpè reſidens de divinarum humanarumque ſcientiâ diſſerebas? Talis habitus, taliſque vultus erat, cùm tecum naturæ ſecreta rimarer, cùm mihi ſiderum vias radio deſcriberes, cùm mores noſtros totiuſque vitæ rationem ad cœleſtis ordinis exemplar informares? Hæccine præmia referimus tibi obſequentes? Atqui tu hanc Platonis ore ſanxiſti ſententiam; *Beatas fore Reſpublicas, ſi eas vel ſtudioſi ſapientiæ regerent, vel earum rectores ſtudere ſapientiæ contigiſſet.* Tu ejuſdem ore viri neceſſariam hanc ſapientibus capeſſundæ reipublicæ cauſam eſſe monuiſti, ne improbis flagitioſiſque civibus urbium relicta gubernacula

peſtem bonis ac perniciem inferrent. Hanc igitur autoritatem ſecutus, quod à te ſecreta inter otia didiceram, transferre in actum publicæ adminiſtrationis optavi. Tu mihi, & qui te ſapientium mentibus inſeruit Deus, conſcii nullum me ad magiſtratum nihil niſi commune bonorum omnium ſtudium detuliſſe. Indè cum improbis graves inexorabileſque diſcordiæ; &, quod conſcientiæ libertas habet, pro tuendo jure ſpreta potentiorum ſemper offenſio. Quoties ego Conigaſtum in imbecillis cujuſque fortunas impetum facientem obvius excepi! Quoties Triguillam regiæ præpoſitum domûs ab inceptâ perpetratâque jam prorsùs injuriâ dejeci! Quoties miſeros, in-

finitis quos calumniis impunita Barbarorum ſemper avaritia vexabat, objectâ periculis autoritate protexi! Nunquam me ab jure ad injuriam quiſquam detraxit. Provincialium fortunas tùm privatis rapinis, tùm publicis vectigalibus, peſſumdari, non aliter, quàm qui patiebantur, indolui. Cùm, acerbæ famis tempore, gravis atque inexplicabilis indicta rei frumentariæ coemptio profligatura inopiâ Campaniam provinciam videretur, certamen adversùs Præfectum Prætorii communis commodi ratione ſuſcepi, Rege cognoſcente contendi, & ne coemptio exigeretur evici. Paulinum Conſularem virum, cujus opes Palatini jam canes ſpe atque ambitione devoraſſent, ab

ipsis hiantium faucibus traxi. Ne Albinum Consularem virum præjudicatæ accusationis pœna corriperet, odiis me Cypriani delatoris opposui. Satisne magnas in me videor exacerbasse discordias? Sed esse apud cæteros tutior debui, qui mihi amore justitiæ nihil apud Aulicos, quò magis essem tutior, reservavi. Quibus autem deferentibus perculsi sumus? Quorum Basilius, à regio depulsus olim ministerio, in delationem nostri nominis alieni æris necessitate compulsus est. Opilionem verò atque Gaudentium cùm ob innumeras multiplicesque fraudes ire in exilium regia censura decrevisset, cùmque illi parere nolentes sacrarum sese ædium defensione tuerentur, com-

pertumque id regi foret, edixit ut, nisi præscriptum intra diem Ravennâ decederent, notas insigniti frontibus pellerentur. Quid huic severitati posse adstrui videtur? Atqui eodem die deferentibus iisdem nominis nostri delatio suscepta est. Quid igitur? Nostræne artes ita meruerunt? An accusatores justos facit præmissa damnatio? Itane nihil fortunam puduit, sin minùs accusatæ innocentiæ, at accusantium vilitatis? At, cujus arguimur, criminis summam quæris? Senatum dicimur salvum esse voluisse. Modum desideras? Delatorem, ne documenta deferret quibus Senatum Majestatis reum faceret, impedisse criminamur. Quid igitur, ô magistra, censes? Inficiabimur crimen,

ne tibi pudori ſimus? At volui, nec unquam velle deſiſtam. Fatebimur? Sed impediendi delatoris opera ceſſabit. An optaſſe ordinis illius ſalutem nefas vocabo? Ille quidem ſuis in me decretis, uti hoc nefas eſſet, effecerat. Sed ſibi ſemper mentiens imprudentia rerum merita non poteſt immutare: neque mihi Socratico decreto fas eſſe arbitror vel occuluiſſe veritatem, vel conceſſiſſe mendacium. Verùm id, quoquo ſit modo, tuo Sapientiumque judicio æſtimandum relinquo. Cujus rei ſeriem atque veritatem, ne latere poſteros queat, ſtylo etiam memoriæque mandavi. Nam de compoſitis falſò litteris, quibus libertatem arguor ſperaſſe Romanam, quid attinet dicere?

Quarum fraus aperta patuiſſet, ſi nobis ipſorum confeſſione delatorum, quod in omnibus negotiis vires habet maximas, uti licuiſſet. Nam quæ ſperari reliqua libertas poteſt? Atque utinam poſſet ulla! Reſpondiſſem Canii verbo, qui cùm à C. Cæſare, Germanici filio, conſcius factæ contrà ſe conjurationis fuiſſe diceretur: *Si ego*, inquit, *ſciſſem, tu neſciſſes*. Quâ in re non ita ſenſus noſtros mœror hebetavit, ut impios ſcelerata contrà virtutem querar eſſe molitos: ſed, quæ ſperaverint, effeciſſe vehementer admiror. Nam deteriora velle noſtri fuerit fortaſsè defectûs: poſſe verò contrà innocentiam quæ ſceleratus quiſque conceperit, inſpectante Deo, monſtri ſi-

mile eſt. Undè haud injuriâ tuorum quidam familiarium quæſivit: *Si quidem Deus*, inquit, *eſt, undè mala? Bona verò undè, ſi non eſt?* Sed fas fuerit nefarios homines, qui bonorum omnium totiuſque Senatûs ſanguinem petunt, nos etiam, bonis quos propugnare Senatuique viderant, perditum ire voluiſſe. Num idem de Patribus quoque merebamur? Meminiſti, ut opinor, quoniam me vel dicturum, vel facturum quid ſemper ipſa dirigebas; meminiſti, inquam, Veronæ cùm Rex communis avidus exitii Majeſtatis crimen in Albinum delatum ad cunctum Senatûs ordinem transferre moliretur, univerſi innocentiam Senatûs quantâ mei ſecuritate periculi

defenderim. Scis me hæc & vera proferre, & in nullâ unquam mei laude jactasse. Minuit enim quodam modo se probantis conscientiæ secretum, quoties ostentando quis factum recipit famæ pretium. Sed innocentiam nostram quis exceperit eventus vides. Pro veræ virtutis præmiis falsi sceleris pœnas subimus. At cujus unquam facinoris manifesta confessio ita judices habuit in severitate concordes, ut non aliquos vel ipse humani error ingenii, vel fortunæ conditio cunctis mortalibus incerta submitteret? Si inflammare sacras ædes voluisse, si sacerdotes impio jugulare gladio, si bonis omnibus necem struxisse diceremur, præsentem tamen sententia confessum

convictumve puniſſet. Nunc quingentis ferè paſſuum millibus procul moti, atque indefenſi, ob ſtudium propenſius in Senatum mortis proſcriptioniſque damnamur. O meritos de ſimili crimine neminem poſſe convinci! Cujus dignitatem reatûs ipſi etiam, qui detulere, viderunt: quam uti ſceleris alicujus admiſtione fuſcarent, ob ambitum dignitatis ſacrilegio me conſcientiam polluiſſe mentiti ſunt. Atqui & tu inſita nobis omnem rerum mortalium cupidinem de noſtri animi ſede pellebas, tuiſque ſub oculis ſacrilegio locum eſſe fas non erat. Inſtillabas enim auribus cogitationibuſque quotidiè meis Pythagoricum illud ἕπου θεῷ. Nec conveniebat viliſſimorum me ſpiri-

tuum præſidia captare, quem tu in hanc excellentiam componebas ut conſimilem Deo faceres. Prætereà penetrale innocens domûs, honeſtiſſimorum cœtus amicorum, ſocer etiam Symmachus ſanctus & æquè ac tu ipſa reverendus, ab omni nos hujus criminis ſuſpicione defendunt. Sed ô nefas! Illi verò à te tanti criminis fidem capiunt; atque hoc ipſo videmur affines fuiſſe maleficio, quòd tuis imbuti diſciplinis, tuis ſumus moribus inſtituti. Ita non eſt ſatis nihil mihi tuam profuiſſe reverentiam, niſi ultrò meâ tu potius offenſione lacereris. At verò noſtris hic etiam malis cumulus accedit, quòd exiſtimatio plurimorum non rerum merita ſed fortunæ ſpectat eventum,

eaque

eaque tantùm judicat esse provisa, quæ felicitas commendaverit. Quo fit ut existimatio bona prima omnium deserat infelices. Qui nunc populi rumores, quàm dissonæ multiplicesque sententiæ, piget reminisci. Hoc tantùm dixerim, ultimam esse adversantis fortunæ sarcinam, quòd, dùm miseris crimen aliquod affingitur, quæ perferunt meruisse creduntur. Et ego bonis quidem pulsus omnibus, dignitatibus exutus, existimatione fœdatus, ob beneficium pertuli supplicium. Videre autem videor nefarias sceleratorum officinas gaudio lætitiâque fluitantes: perditissimum quemque novis delationum fraudibus imminentem: jacere bonos nostri terrore discriminis prof-

tratos: flagitiosum quemque ad audendum quidem facinus impunitate, ad efficiendum verò præmiis incitari: insontes autem non modò securitate, verùm ipsâ etiam defensione privatos. Itaque libet exclamare:

O STELLIFERI conditor orbis,
Qui perpetuo nixus solio
Rapido cœlum turbine versas,
Legemque pati sidera cogis,
Ut nunc pleno lucida cornu
Totis fratris & obvia flammis
Condat stellas Luna minores;
Nunc obscuro pallida cornu
Phœbo propior lumina perdat:
Et qui primo tempore noctis
Agit algentes Hesperus ortus,
Solitas iterum mutet habenas
Phœbi pallens Lucifer ortu.
Tu frondifluæ frigore brumæ
Stringis lucem breviore morâ.
Tu, cùm fervida venerit æstas,
Agiles noctis dividis horas.

Tua vis varium temperat annum,
Ut, quas Boreæ ſpiritus aufert,
Revehat mitis Zephyrus frondes:
Quæque Arcturus ſemina vidit,
Sirius altas urat ſegetes.
Nihil antiquâ lege ſolutum
Linquit propriæ ſtationis opus.
Omnia certo fine gubernans
Hominum ſolos reſpuis actus
Merito rector cohibere modo.
Nam cur tantas lubrica verſat
Fortuna vices? Premit inſontes
Debita ſceleri noxia pœna.
At perverſi reſident celſo
Mores ſolio, ſanctaque calcant
Injuſtâ vice colla nocentes.
Latet obſcuris condita virtus
Clara tenebris, juſtuſque tulit
Indefenſus crimen iniqui.
Nil perjuria, nil nocet ipſis
Mendaci fraus comta colore.
Sed cùm libuit viribus uti,
Quos innumeri metuunt populi,
Summos gaudent ſubdere Reges.
O! jam miſeras reſpice terras,
Quiſquis rerum fœdera nectis.
Operis tanti pars non vilis

Homines, quatimur fortunæ ſalo:
Rabidos, rector, comprime fluctus;
Et, quo cœlum regis immenſum,
Firma, ſtabiles fœdere terras.

HÆC ubi continuato dolore delatravi, illa vultu placido, meiſque nihil mota queſtibus: cùm te, inquit, mœſtum lacrymantemque vidiſſem, illicò miſerum exulemque cognovi. Sed quàm id longinquum eſſet exilium, niſi tua prodidiſſet oratio, neſciebam. Sed tu procul à patriâ non quidem pulſus es, ſed aberraſti. At ſi te pulſum exiſtimari mavis, te potiùs ipſe pepuliſti. Nam id quidem nunquam de te fas cuiquam fuiſſet. Si enim cujus oriundus ſis patriæ reminiſcaris, non, uti Athenienſium quondam, multitudinis imperio regitur; ſed εἷς κοίρανός ἐστιν,

εἷς βασιλεύς, qui frequentiâ civium, non depulſione lætatur: cujus agi frænis atque obtemperare juſtitiæ ſumma libertas eſt. An ignoras antiquiſſimam illam civitatis tuæ legem quâ ſancitum eſt, *ei jus exulare non eſſe, quiſquis in eâ ſedem fundare maluerit?* Nam qui vallo ejus ac munimine continetur, metus nullus eſt ne exſul eſſe mereatur. At quiſquis inhabitare eam velle deſierit, pariter etiam mereri deſinit. Itaque non tàm loci hujus, quàm tua me facies movet. Nec bibliothecæ potiùs comptos ebore ac vitro parietes, quàm mentis tuæ ſedem requiro, in quâ non libros, ſed, quod libris pretium facit, librorum quondam meorum ſententias collo-

cavi. Et tu quidem de tuis in commune bonum meritis vera quidem, sed, pro multitudine gestorum tibi, pauca dixisti. De objectorum tibi vel honestate, vel falsitate, cunctis nota memorasti. De sceleribus fraudibusque delatorum rectè tu quidem strictim attingendum putasti, quòd ea meliùs uberiùsque recognoscentis omnia vulgi ore celebrentur. Increpuisti etiam vehementer injusti factum Senatûs: de nostrâ etiam criminatione doluisti, læsæque opinionis damna flevisti. Postremus adversùm fortunam dolor incanduit, conquestusque es non æqua meritis præmia pensari. In extremo Musæ sævientis, uti quæ cœlum, terras quoque pax regeret,

vota posuisti. Sed quoniam plurimus affectuum tibi tumultus incubuit, diversumque te dolor, ira, mœror distrahunt, utì nunc mentis es, nondùm validiora te remedia contingunt. Itaque lenioribus paulisper utemur, ut quæ in tumorem perturbationibus influentibus obduruerunt, ad acrioris vim medicaminis recipiendam tactu blandiore mollescant.

CUM Phœbi radiis grave
Cancri sidus inæstuat,
Tùm qui larga negantibus
Sulcis semina credidit,
Elusus Cereris fide
Quernas pergat ad arbores.
Nunquam purpureum nemus
Lecturus violas petas,
Cùm sævis Aquilonibus
Stridens campus inhorruit:
Nec quæras avidâ manu
Vernos stringere palmites,
Uvis si lubeat frui:

Autumno potiùs ſua
Bacchus munera contulit.
Signat tempora propriis
Aptans officiis Deus;
Nec, quas ipſe coercuit,
Miſceri patitur vices.
Sic quod præcipiti viâ
Certum deſerit ordinem,
Lætos non habet exitus.

PRIMUM igitur pateriſne me pauculis rogationibus tuæ ſtatum mentis attingere atque tentare, ut qui tuæ ſit modus curationis intelligam. Tu verò arbitratu, inquam, tuo quæ voles ut reſponſurum rogato. Tùm illa: hunccine, inquit, mundum temerariis agi fortuitiſque caſibus putas? An ullum credis ei regimen ineſſe rationis? Atqui nullo, inquam, exiſtimaverim modo ut fortuitâ temeritate tam certa movean-

tur. Verùm operi suo conditorem Deum præsidere scio, nec ulla fuerit unquam dies quæ me ab hac sententiæ veritate depellat. Ita est, inquit. Nam id etiam paulò antè cecinisti, hominesque tantùm divinæ exsortes curæ doluisti. De cæteris autem, quin ratione regerentur, nihil movebare. Papæ itaque vehementer admiror cur, in tam salubri sententiâ locatus, ægrotes. Verùm altiùs perscrutemur. Nescio quid abesse conjecto. Sed dic mihi: Quoniam à Deo mundum regi non ambigis, quibus etiam gubernaculis regatur advertis? Vix, inquam, rogationis tuæ sententiam nosco, nedùm ad inquisita respondere queam. Num me, inquit, abesse fefellit ali-

quid per quod, velut hiante valli robore, tuum in animum perturbationum morbus irrepſerit? Sed dic mihi: Meminiſtine quis rerum ſit finis? Quòve Naturæ totius tendat intentio? Audieram, inquam; Deumque eſſe reſpondi. Et quî fieri poteſt ut, principio cognito, quis rerum ſit finis ignores? Verùm hi ſunt perturbationum mores, ea valentia, ut hominem movere quidem loco poſſint, convellere autem ſibique totum exſtirpare non poſſint. Sed hoc quoque reſpondeas velim. Hominemne te eſſe meminiſti? Quidni, inquam, meminerim? Quid igitur homo ſit poteris-ne proferre? Hoccine interrogas, an eſſe me ſciam rationale animal atque mortale? Scio, & id me

esse confiteor. Et illa : Nihilne te aliud esse novisti ? Nihil. Jam scio, inquit, aliam morbi tui vel maximam causam : quid ipse sis nosse desiisti. Quare plenissimè vel ægritudinis tuæ rationem, vel aditum reconciliandæ sospitatis inveni. Quoniam enim tui oblivione confunderis, & exsulem te, & propriis exspoliatum bonis esse doluisti. Quòd autem quis rerum sit finis ignoras, nequam homines, atque nefarios, potentes felicesque arbitraris. Quin etiam quibus gubernaculis mundus regatur oblitus, has fortunarum vices sine rectore existimas fluitare. Magnæ quidem non ad morbum modò, verùm ad interitum quoque causæ. Sed sospitatis autori grates, quòd totum

te natura nondùm deſtituit. Habemus maximum tuæ fomitem ſalutis, veram de mundi gubernatione ſententiam, quòd eam non caſuum temeritati, ſed divinæ ſubditam rationi credis. Nihil igitur extimeſcas. Jam tibi ex hac minimâ ſcintillulâ calor vitalis illuxerit. Sed quoniam firmioribus uti remediis nondùm tempus eſt, & eam mentium conſtat eſſe naturam, ut, quoties abjecerint veras, falſis opinionibus induantur, ex quibus orta perturbationum caligo verum illum confundit intuitum; lenibus hanc mediocribuſque fomentis pauliſper attenuare tentabo, ut, dimotis fallacium affectionum tenebris, ſplendorem veræ lucis poſſis agnoſcere.

Nubibus

NUBIBUS atris
Condita nullum
Fundere possunt
Sidera lumen.
Si mare volvens
Turbidus Auster
Misceat æstum,
Vitrea dudùm
Parque serenis
Unda diebus,
Mox resoluto
Sordida cœno
Visibus obstat:
Quique vagatur
Montibus altis
Defluus amnis,
Sæpè resistit
Rupe soluti
Objice saxi.
Tu quoque si vis
Lumine claro
Cernere verum, &
Tramite recto
Carpere callem;
Gaudia pelle,
Pelle timorem,
Spemque fugato,
Nec dolor adsit.
Nubila mens est
Vinctaque frænis,
Hæc ubi regnant.

LIBER SECUNDUS.

POST hæc paulisper obticuit: atque ubi attentionem meam modestâ taciturnitate collegit, sic exorsa est. Si penitùs ægritudinis tuæ causas habitumque cognovi, fortunæ prioris

affectu desiderioque tabescis; ea tantùm animi tui statum, sicuti tu tibi fingis, mutata pervertit. Intelligo multiformes illius prodigii fucos, & eò usque cum iis, quos eludere nititur, blandissimam familiaritatem, dùm intolerabili dolore confundat quos insperata reliquerit. Cujus si naturam, mores, ac meritum reminiscare, nec in eâ pulchrum aliquid habuisse te, nec amisisse cognosces. Sed, ut arbitror, haud multùm tibi hæc in memoriam revocare laboraverim. Solebas enim præsentem quoque blandientemque virilibus incessere verbis, eamque de nostro prolatis adyto insectari sententiis. Verùm subita omnis rerum mutatio non sine quodam quasi

conflictu contingit animorum. Sic factum est ut tu quoque paulisper à tuâ tranquillitate discesseris. Sed tempus est haurire te aliquid ac degustare molle atque jucundum, quod ad interiora transmissum validioribus viam haustibus fecerit. Adsit igitur Rhetoricæ suadela dulcedinis, quæ tunc recto tantùm calle procedit, cùm nostra instituta non deserit; cumque hâc Musica laris nostri vernula nunc leviores, nunc graviores modos succinat.

Quid est igitur, ô homo, quod te in mœstitiam luctumque dejecit? Novum, credo, aliquid inusitatumque vidisti. Tu-ne fortunam ergà te putas esse mutatam? Erras. Hi semper ejus sunt mores, ea natura. Ser-

vavit ergà te propriam potiùs in ipsâ ſui mobilitate conſtantiam. Talis erat cùm blandiebatur, cùm tibi falſæ felicitatis illecebris alluderet. Deprehendiſti cæci numinis ambiguos vultus. Quæ ſeſe adhùc velat aliis, tota tibi prorsùs innotuit. Si probas, utere moribus, ne queraris. Si perfidam perhorreſcis, ſperne atque abjice perniciosâ ludentem. Nam quæ nunc mœroris tibi cauſa tanti eſt, hæc eadem debuiſſet eſſe tranquillitatis. Reliquit enim te, quam non relicturam nemo unquam poterit eſſe ſecurus. An verò pretioſam æſtimas abituram felicitatem? Et chara tibi eſt fortuna præſens, nec manendi fida, & , cùm diſceſſerit, allatura mœrorem? Quòd ſi neque ex arbitrio re-

tineri poteſt, & calamitoſos fugiens facit, quid eſt aliud fugax, quàm futuræ quoddam calamitatis indicium? Neque enim quod ante oculos ſitum eſt ſuffecerit intueri. Rerum exitus Prudentia metitur, eademque in alterutro mutabilitas nec formidandas fortunæ minas, nec exoptandas facit eſſe blanditias. Poſtremùm æquo toleres oportet animo quidquid intrà fortunæ aream geritur, cùm ſemel jugo ejus colla ſubmiſeris. Quòd ſi manendi abeundique legem ſcribere velis ei quam ſponte tuâ Dominam elegiſti, nonne injurius fueris, & impatientiâ ſortem exacerbes quam permutare non poſſis? Si ventis vela committeres, non quò voluntas peteret, ſed quò

flatus impellerent, promovereris. Si arvis ſemina crederes, feraces inter ſe annos ſterileſque penſares. Fortunæ te regendum dediſti, Dominæ moribus oportet obtemperes. Tu verò volventis rotæ impetum retinere conaris? At, omnium ſtolidiſſime mortalium, ſi manere incipit, fors eſſe deſiſtit.

Hæc cùm ſuperbâ verterit vices dextrâ,
Exæſtuantis more fertur Euripi.
Dudùm tremendos ſæva proterit Reges,
Humilemque victi ſublevat fallax vultum.
Non illa miſeros audit, haud curat fletus;
Ultròque gemitus, dura quos fecit, ridet.
Sic illa ludit, ſic ſuas probat vires;
Suique magnum monſtrat oſtentum, ſi quis
Viſatur unâ ſtratus ac felix horâ.

VELLEM autem pauca tecum Fortunæ ipſius verbis agitare. Tu igitur an jus poſtulet animadverte. Quid

tu, ô homo, ream me quotidianis agis querelis? Quam tibi fecimus injuriam? Quæ tua tibi detraximus bona? Quovis judice de opum dignitatumque mecum possessione contende; & si cujusquam mortalium proprium quid horum esse monstraveris, ego jam tua fuisse quæ repetis sponte concedam. Cùm te matris ex utero natura produxit, rebus nudum omnibus inopemque suscepi, meis opibus fovi, & quod te nunc impatientem nostri facit, favore prona indulgentiùs educavi, ac omnium quæ mei sunt juris affluentiâ & splendore circumdedi. Nunc mihi retrahere manum libet: habe gratias velut usus alienis. Non habes jus querelæ, tanquam tua prorsùs per-

dideris. Quid ergò ingemiſcis? Nulla tibi à nobis illata violentia eſt. Opes, honores, cæteraque talia mei ſunt juris. Dominam fàmulæ cognoſcunt; mecum veniunt, me abeunte diſcedunt. Audacter affirmem, ſi tua forent quæ amiſſa conquereris, nullo modo perdidiſſes. An ego ſola jus meum exercere prohibeor? Licet cœlo proferre lucidos dies, eoſdemque tenebroſis noctibus condere. Licet anno nunc terræ vultum floribus frugibuſque redimire, nunc nimbis frigoribuſque confundere. Jus eſt mari nunc ſtrato æquore blandiri, nunc procellis ac fluctibus inhorreſcere. Nos ad conſtantiam noſtris moribus alienam inexpleta hominum cupiditas alligabit? Hæc noſtra vis

eſt. Hunc continuum ludum ludimus. Rotam volubili orbe verſamus; infima ſummis, ſumma infimis mutare gaudemus. Adſcende, ſi placet; ſed eâ lege ut ne, cùm ludicri mei ratio poſcet, deſcendere injuriam putes. An tu mores ignorabas meos? Neſciebas Crœſum, Lydorum regem, Cyro paulò antè formidabilem, mox deindè miſerandum, rogi flammis traditum miſſo cœlitùs imbre defenſum? Nùm te præterit Paulum Perſes regis à ſe capti calamitatibus pias impendiſſe lacrymas? Quid tragædiarum clamor aliud deflet, niſi indiſcreto ictu fortunam felicia regna vertentem? Nonne adoleſcentulus *δύο πίθους, τὸν μὲν ἕνα κακῶν, τὸν δὲ ἕτερον καλῶν*, in Jovis limine ja-

cere didicisti? Quid, si uberiùs de bonorum parte sumpsisti? Quid, si à te non tota discessi? Quid, si hæc ipsa mei mutabilitas justa tibi causa est sperandi meliora? Attamen ne animo contabescas, & intrà commune omnibus regnum locatus proprio jure vivere desideres.

Si, quantas rapidis flatibus incitus
Pontus versat arenas;
Aut quot stelliferis edita noctibus
Cœlo sidera fulgent;
Tantas fundat opes, nec retrahat manum
Pleno Copia cornu:
Humanum miseras haud ideò genus
Cesset flere querelas.
Quamvis vota libens excipiat Deus
Multi prodigus auri,
Et claris avidos ornet honoribus;
Nil jam parta videntur:
Sed, quæsita vorans, sæva rapacitas
Altos pandit hiatus.
Quæ jam præcipitem fræna cupidinem
Certo fine retentent,

Largis cùm potiùs muneribus fluens
Vis ardescit habendi?
Nunquam dives agit, qui trepidùs, gemens,
Sese credit egentem.

HIS igitur si pro se tecum verbis Fortuna loqueretur, quid profectò contrà hiſceres non haberes. At si quid est quo querelam tuam jure tuearis, proferas oportet; dabimus dicendi locum. Tùm ego: Speciosa quidem ista sunt, inquam, oblitaque Rhetoricæ ac Musicæ melle dulcedinis: tùm tantùm, cùm audiuntur, oblectant. Sed miseris malorum altior sensus est. Itaque cùm hæc auribus insonare desierint, insitus animum mœror prægravat. Et illa; ita est, inquit. Hæc enim nondùm morbi tui remedia, sed adhùc contumacis adversùs curationem doloris fo-

menta quædam sunt. Nam quæ in profundum sese penetrent, cùm tempestivum fuerit, admovebo. Verumtamen, ne te miserum existimari velis, an numerum modumque tuæ felicitatis oblitus es? Taceo quòd desolatum parente summorum te virorum cura suscepit, delectusque in affinitatem Principum civitatis, quod pretiosissimum propinquitatis genus est, priùs carus quàm proximus esse cepisti. Quis non te felicissimum cùm tanto splendore socerorum, cùm conjugis pudore, tùm masculæ quoque prolis opportunitate prædicavit? Prætereo, libet enim præterire communia, sumtas in adolescentiâ negatas senibus dignitates; ad singularem felicitatis tuæ cumulum venire

delectat. Si quis rerum mortalium fructus ullum beatitudinis pondus habet, poteritne illius memoria lucis quantâlibet ingruentium malorum mole deleri? Cùm duos pariter Consules liberos tuos domo provehi sub frequentiâ Patrum, sub Plebis alacritate vidisti: cùm, eisdem in Curiâ curules insidentibus, tu regiæ laudis orator ingenii gloriam facundiæque meruisti: cùm in Circo duorum medius Consulum circumfusæ multitudinis expectationem triumphali largitione satiasti. Dedisti, ut opinor, verba fortunæ dùm te illa demulcet, dùm te suas ut delicias fovet. Munus, quod nulli unquam privato commodaverat, abstulisti. Vis-ne igitur cum fortunâ calculum ponere?

Nunc te primùm liventi oculo perstrinxit. Si numerum modumque lætorum tristiumve consideres, adhùc te felicem negare non possis. Quòd si idcircò te fortunatum esse non existimas, quoniam quæ tunc læta videbantur abierunt; non est quòd te miserum putes, quoniam quæ nunc mœsta reputantur prætereunt. An tu in hanc vitæ scenam subitus hospesque venisti? Ullam-ne rebus humanis inesse reris constantiam, cùm ipsum sæpè hominem velox hora dissolvat? Nàm etsi rara fortuitis est manendi fides, ultimus tamen vitæ dies mors quædam fortunæ est etiam manentis. Quid igitur referre putas? Tu-ne illam moriendo deseras, an illa te fugiendo?

CUM polo Phœbus roseis quadrigis
    Lucem spargere cœperit,
Pallet albentes hebetata vultus
    Flammis stella prementibus.
Cùm nemus flatu Zephyri tepentis
    Vernis inrubuit rosis,
Spiret insanum nebulosus Auster,
    Jam spinis abeat decus.
Sæpè tranquillo radiat sereno
    Immotis mare fluctibus;
Sæpè ferventes Aquilo procellas
    Verso concitat æquore.
Rara si constat sua forma mundo,
    Si tantas variat vices;
Crede fortunis hominum caducis,
    Bonis crede fugacibus.
Constat, æternâ positumque lege est,
    Ut constet genitum nihil.

TUM ego: Vera, inquam, commemoras, ô virtutum omnium nutrix; nec inficiari possum prosperitatis meæ velocissimum cursum. Sed hoc est quod recolentem vehementiùs coquit. Nam in omni adversitate

fortunæ infeliciſſimum genus eſt infortunii fuiſſe felicem. Sed quod tu, inquit, falſæ opinionis ſupplicium luis, id rebus jure imputare non poſſis. Nam ſi te hoc inane nomen fortuitæ felicitatis movet, quàm plurimis maximiſque abundas mecum reputes. Itaque ſi, quod in omni fortunæ tuæ cenſu pretioſiſſimum poſſidebas, id tibi divinitùs illæſum adhùc inviolatumque ſervatur, poteriſ-ne meliora quæque retinens de infortunio jure cauſari? Atqui viget incolumis, pretioſiſſimum illud generis humani decus, Symmachus ſocer; &, quod vitæ pretio non ſegnis emeres, vir totus ex ſapientiâ virtutibuſque factus, ſuarum ſecurus tuis ingemiſcit injuriis. Vivit

uxor ingenio modeſta, pudicitiæ laude præcellens, &, ut omnes ejus dotes breviter includam, patri ſimilis. Vivit, inquam, tibique tantùm vitæ hujus exoſa ſpiritum ſervat, quoque uno felicitatem minui tuam vel ipſa conceſſerim, tui deſiderio lacrymis ac dolore tabeſcit. Quid dicam liberos conſulares quorum jam, ut in id ætatis pueris, vel paterni vel aviti ſpecimen elucet ingenii? Cùm igitur præcipua ſit mortalibus vitæ cura retinendæ, ô te, ſi bona tua cognoſcas, felicem! cui ſuppetunt etiam nunc quæ vitâ nemo dubitat eſſe cariora. Quare ſicca jam lacrymas. Nondùm eſt ad unum vos omnes exoſa fortuna, nec tibi nimiùm valida tempeſtas incubuit,

quandò tenaces hærent anchoræ quæ nec præsentis solamen, nec futuri spem temporis abesse patiantur. Et hæreant, inquam, precor: illis namque manentibus, utcunque se res habeant, enatabimus. Sed quantum ornamentis nostris decus decesserit vides. Et illa: Promovimus, inquit, aliquantùm, si te nondùm totius tuæ sortis piget. Sed delicias ferre tuas non possum, qui beatitudini tuæ aliquid abesse tàm luctuosus atque anxius conquereris. Quis est enim tàm compositæ felicitatis, ut non aliquâ ex parte cum statûs sui conditione rixetur? Anxia enim res est humanorum conditio bonorum, & quæ vel nunquam tota proveniat, vel nunquam perpetua subsistat. Huic

census exuberat, sed est pudori degener sanguis. Hunc notum facit nobilitas, sed angustiâ rei familiaris inclusus esse malit ignotus. Ille utroque circumfluus cælibem vitam deflet. Ille nuptiis felix, orbus liberis alieno censum nutrit hæredi. Alius prole lætatus, filii filiæve delictis mœstus illacrymat. Idcircò nemo facilè cum fortunæ suæ conditione concordat. Inest enim singulis quod inexpertus ignoret, expertus exhorreat. Adde quòd felicissimi cujusque delicatissimus sensus est, &, nisi ad nutum cuncta suppetant, omnis adversitatis insolens minimis quibusque prosternitur: adeò perexigua sunt quæ fortunatissimis beatitudinis summam detrahunt. Quàm multos

esse conjectas qui cœlo sese proximos arbitrentur, si de fortunæ tuæ reliquiis pars eis minima contingat? Hic ipse locus, quem tu exilium vocas, incolentibus patria est. Adeò miserum nihil est, nisi cùm putes: contràque beata sors omnis est æquanimitate tolerantis. Quis est ille tàm felix, qui, cùm dederit impatientiæ manus, statum suum mutare non optet? Quàm multis amaritudinibus humanæ felicitatis dulcedo respersa est! Quæ si etiam fruenti jucunda esse videatur, tamen quominùs, cùm velit, abeat retineri non potest. Liquet igitur quàm sit mortalium rerum misera beatitudo, quæ nec apud æquanimos perpetua perdurat, nec anxios tota delectat. Quid igitur, ô

mortales, extrà petitis intrà vos positam felicitatem? Error vos inſcitiaque confundit. Oſtendam breviter tibi ſummæ cardinem felicitatis. Eſtne aliquid tibi te ipſo pretioſius? Nihil, inquies. Si tui compos ergò fueris, poſſidebis quod nec tu amittere unquam velis, nec fortuna poſſit auferre: atque ut agnoſcas in his fortuitis rebus beatitudinem conſtare non poſſe, ſic collige. Si beatitudo ſummum naturæ bonum eſt ratione degentis, nec illud eſt ſummum bonum, quod eripi ullo modo poteſt, quoniam præcellit id quod nequeat auferri: manifeſtum eſt quòd ad beatitudinem percipiendam fortunæ inſtabilitas aſpirare non poſſit. Ad hæc quem caduca iſta felicitas ve-

hit, vel ſcit eam vel neſcit eſſe mutabilem. Si neſcit, quænam beata ſors eſſe poteſt in ignorantiæ cæcitate? Si verò ſcit, metuat neceſſe eſt ne amittat quod amitti poſſe non dubitat; quare continuus timor non ſinit eſſe felicem. An, vel ſi amiſerit, negligendum putat? Sic quoque perexile bonum eſt, quod æquo animo feratur amiſſum. Et quoniam tu idem es, cui perſuaſum atque inſitum permultis demonſtrationibus ſcio mentes hominum nullo modo eſſe mortales; cùmque certum ſit fortuitam corporis felicitatem morte finiri, dubitari nequit, ſi hæc auferre beatitudinem poteſt, quin omne mortalium genus in miſeriam mortis fine labatur. Quòd ſi multos ſcimus

non morte solùm, verùm etiam doloribus suppliciisque beatitudinis fructum quæsisse, quonam modo præsens hæc vita facere beatos potest, quæ miseros transacta non efficit?

QUISQUIS volet perennem
Cautus ponere sedem
Stabilisque, nec sonori
Sterni flatibus Euri,
Et fluctibus minantem
Curat spernere Pontum:
Montis cacumen alti, &
Bibulas vitet arenas.
Illud protervus Auster
Totis viribus urget:
Hæ pendulum solutæ
Pondus ferre recusant.
Fugiens periculosam
Sortem sedis amœnæ,
Humili domum memento
Certus figere saxo.
Quamvis tonet ruinis
Miscens æquora ventus;
Tu conditus, quieti

Felix robore valli,
Duces serenus ævum
Ridens ætheris iras.

SED quoniam rationum jam in te mearum fomenta descendunt, paulò validioribus utendum puto. Age enim, si caduca & momentanea fortunæ bona non essent, quid in eis est quod aut vestrum unquam fieri queat, aut non perspectum consideratumque vilescat? Divitiæ-ne vestri vel sui naturâ pretiosæ sunt? Quid earum potius? Aurum-ne, an vis congestæ pecuniæ? Atqui effundendo magis, quàm coacervando, meliùs nitent; si quidem semper odiosos avaritia, claros largitas facit. Quòd si manere apud quemquam non potest quod transfertur in alterum, tunc est pretiosa pecunia, cùm translata

lata in alios largiendi uſu deſinit poſſideri. At eadem ſi apud unum, quanta eſt ubique gentium, congeratur, cæteros ſui inopes fecerit. Et vox quidem tota multorum replet pariter auditum: veſtræ verò divitiæ, niſi comminutæ, in plures tranſire non poſſunt. Quod cùm factum eſt, pauperes neceſſe eſt faciant quos relinquunt. O anguſtas igitur inopeſque divitias, quas nec habere totas pluribus licet, & ad quemlibet ſine cæterorum paupertate non veniunt! An gemmarum fulgor oculos trahit? Sed ſi quid eſt in hoc ſplendore præcipui, gemmarum eſt lux illa, non hominum: quas quidem mirari homines vehementer admiror. Quid eſt enim carens animæ motu membro-

rumque compage, quod animatæ rationabilique naturæ pulchrum esse jure videatur? Quæ tametsi conditoris operâ suique distinctione postremæ aliquid pulchritudinis trahunt, infrà vestram tamen excellentiam collocatæ admirationem vestram nullo modo merebantur. An vos agrorum pulchritudo delectat? Quidni? Est enim pulcherrimi operis pulchra portio. Sic sereni quondam maris facie gaudemus: sic cœlum, sidera, Solem Lunamque miramur. Nùm te horum aliquid attingit? Nùm audes alicujus talium splendore gloriari? An vernis floribus ipse distingueris, aut tua in æstivos fructus intumescit ubertas? Quid inanibus gaudiis raperis? Quid externa bona pro tuis

amplexaris? Nunquam tua faciet esse fortuna, quæ à te natura rerum fecit aliena. Terrarum quidem fructus animantium procul dubiò debentur alimentis. Sed si, quod naturæ satis est, replere indigentiam velis, nihil est quòd fortunæ affluentiam petas. Paucis enim minimisque natura contenta est; cujus satietatem si superfluis urgere velis, aut injucundum, quod infuderis, fiet, aut noxium. Jam verò pulchrum variis fulgere vestibus putas? Quarum si grata intuitu species est, aut materiæ naturam, aut ingenium mirabor artificis. An verò longus ordo famulorum facit esse felicem? Qui si vitiosi sint moribus, perniciosa domûs sarcina, & ipsi domino vehementer ini-

mica : sin verò probi, quonam modo in tuis opibus aliena probitas numerabitur ? Ex quibus omnibus nihil horum, quæ in tuis computas bonis, tuum esse bonum liquidò monstratur. Quibus si nihil inest appetendæ pulcritudinis, quid est quòd vel amissis doleas, vel læteris retentis ? Quòd si naturâ pulchra sunt, quid id tuâ refert ? Nam hæc per se à tuis quoque opibus sequestrata placuissent. Neque enim idcircò sunt pretiosa, quòd in tuas venere divitias : sed quoniam pretiosa videbantur, tuis ea divitiis annumerare voluisti. Quid autem tanto fortunæ strepitu desideratis ? Fugare, credo, indigentiam copiâ quæritis. At hoc vobis in contrarium cedit. Pluribus

quippè adminiculis opus eſt ad tuendam pretioſæ ſuppellectilis varietatem : verumque illud eſt, permultis eos indigere qui multa poſſident, contràque minimo qui abundantiam ſuam naturæ neceſſitate, non ambitûs ſuperfluitate metiantur. Ita-ne autem nullum eſt proprium vobis atque inſitum bonum, ut in externis ac ſepoſitis rebus bona veſtra quæratis ? Sic rerum verſa conditio eſt, ut divinum merito rationis animal non aliter ſibi ſplendere, niſi inanimatæ ſuppellectilis poſſeſſione, videatur ? Et alia quidem ſuis contenta ſunt : vos autem Deo mente conſimiles ab rebus infimis excellentis naturæ ornamenta captatis, nec intelligitis quantam conditori veſtro faciatis

injuriam. Ille genus humanum terrenis omnibus præstare voluit : vos dignitatem vestram infrà infima quæque detruditis. Nam si omne cujusque bonum eo cujus est constat esse pretiosius, cùm vilissima rerum vestra esse bona judicatis, eisdem vosmetipsos vestrâ æstimatione submittitis. Quod quidem haud immeritò cadit : humanæ quippè naturæ ista conditio est, ut tùm tantùm cæteris rebus, cùm se cognoscit, excellat; eadem tamen infrà bestias redigatur, si se nosse desierit. Nam cæteris animantibus sese ignorare natura est; hominibus verò vitio venit. Quàm verò latè vester hic error patet, qui ornari posse aliquid ornamentis existimatis alienis! At id fieri nequit.

Nam si quid ex appositis luceat, ipsâ quidem quæ sunt apposita laudantur : illud verò tectum his atque velatum in suâ nihilominùs fœditate perdurat. Ego verò illud esse bonum nego, quod habenti noceat. Nùmquid mentior ? Minimè, inquies. Atqui divitiæ possidentibus persæpè nocuerunt, cùm pessimus quisque, eòque alieni magis avidus, quidquid usquam auri gemmarumque est, se solum, qui habeat, dignissimum putat. Tu igitur qui nunc contum gladiumque sollicitus pertimescis, si vitæ hujus callem vacuus viator intrasses, coram latrone securus cantares. O præclaram opum mortalium beatitudinem, quam cùm fueris adeptus, securus esse desistis !

Felix nimiùm prior ætas
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu;
Facili quæ sera solebat
Jejunia solvere glande.
Non Bacchica munera norant
Liquido confundere melle,
Nec lucida vellera Serum
Tyrio miscere veneno.
Somnos dabat herba salubres,
Potum quoque lubricus amnis,
Umbras altissima Pinus.
Nondùm maris alta secabat,
Nec mercibus undique lectis
Nova littora viderat hospes.
Tunc classica sæva tacebant,
Odiis neque fusus acerbis
Cruor horrida tinxerat arma.
Quid enim furor hosticus ulla
Vellet prior arma movere,
Cùm vulnera sæva viderent
Nec præmia sanguinis ulla?
Utinam modò nostra redirent
In mores tempora priscos!
Sed sævior ignibus Ætnæ
Fervens amor ardet habendi.
Hei! primus quis fuit ille,

Auri qui pondera tecti
Gemmasque latere volentes,
Pretiosa pericula, fodit?

QUID autem de dignitatibus potentiâque disseram, quas veræ dignitatis ac potestatis inscii cœlo exæquatis? Quæ si in improbissimum quemque ceciderint, quæ flammis Ætna eructantibus, quod diluvium tantas strages dederit? Certè, uti meminisse te arbitror, Consulare imperium, quod libertatis principium fuerat, ob superbiam Consulum vestri veteres abolere cupierunt; qui ob eandem superbiam regium priùs de civitate nomen abstulerant. At si quandò, quod perrarum est, probis honores deferantur, quid in eis aliud quàm probitas utentium placet? Ita fit ut non virtutibus ex dignitate, sed

ex virtute dignitatibus honor accedat. Quæ verò est ista vestra expetibilis ac præclara potentia ? Nonne, ô terrena animalia, consideratis quibus præsidere videamini ? Nam si inter mures unum aliquem jus sibi ac potestatem præ cæteris vindicantem videres, quanto movereris cachinno! Quid verò, si corpus spectes, imbecillius homine reperire queas, quem sæpè muscularum quoque vel morsus, vel in secreta quæque reptantium necat introitus ? Quò verò quisquam jus aliquod in quempiam, nisi in solum corpus & quod infrà corpus est, fortunam loquor, possit exercere ? Numquid libero unquam imperabis animo ? Num mentem firmâ sibi ratione cohærentem

de statu propriæ quietis amovebis? Cùm liberum quemdam virum suppliciis se Tyrannus adacturum putaret, ut adversùm se factæ conjurationis socios proderet, linguam ille momordit atque abscidit, & in os Tyranni sævientis abjecit: ita cruciatus, quos putabat Tyrannus materiam crudelitatis, vir sapiens fecit esse virtutis. Quid autem est quod in alium facere quisquam possit, quod ipse ab alio non possit sustinere? Busiridem accepimus, hospites necare solitum, ab Hercule hospite fuisse mactatum. Regulus plures Pœnorum captos in vincula conjecerat: sed mox ipse victorum catenis manus præbuit. Ullam-ne igitur hominis esse potentiam putas, qui, quod ipse in

alio poteſt, ne id in ſe alter valeat efficere non poſſit? Ad hæc, ſi ipſis dignitatibus ac poteſtatibus ineſſet aliquid naturalis ac proprii boni, nunquam peſſimis provenirent. Neque enim ſibi ſolent adverſa ſociari. Natura reſpuit ut contraria quæque jungantur. Ita cùm peſſimos plerumque dignitatibus fungi non dubium ſit, illud etiam liquet naturâ ſui bona non eſſe, quæ ſe peſſimis hærere patiuntur. Quod quidem de cunctis fortunæ muneribus digniùs exiſtimari poteſt, quæ ad improbiſſimum quemque uberiora proveniunt.. De quibus illud etiam conſiderandum puto, quòd nemo dubitat eſſe fortem cui fortitudinem ineſſe conſpexerit; & cuicumque velocitas adeſt,

adeſt, manifeſtum eſt eſſe velocem. Sic Muſica quidem muſicos, Medicina medicos, Rhetorica rhetores facit. Agit enim cujuſque rei natura quod proprium eſt, nec contrariarum rerum miſcetur effectibus, ſed ultrò quæ ſunt adverſa depellit. Atqui nec opes inexpletam reſtinguere avaritiam queunt: nec poteſtas compotem ſuî fecerit quem vitioſæ libidines inſolubilibus adſtrictum retinent catenis: & collata improbis dignitas non modò non efficit dignos, ſed prodit potiùs & oſtentat indignos. Cur ita provenit? Gaudetis enim aliter ſeſe res habentes falſis compellare nominibus, quæ facilè ipſarum rerum redarguuntur effectu: quare nec illæ divitiæ, nec illa potentia,

neque hæc dignitas jure appellari poteſt. Poſtremò idem de totâ concludere fortunâ licet, in quâ nihil expetendum, nihil nativæ bonitatis ineſſe manifeſtum eſt: quæ nec ſe bonis ſemper adjungit, & bonos, quibus fuerit adjuncta, non efficit.

Novimus quantas dederit ruinas,
Urbe flammatâ Patribuſque cæſis,
Fratre qui quondam ferus interempto
Matris effuſo maduit cruore;
Corpus & viſu gelidum pererrans
Ora non tinxit lacrymis, ſed eſſe
Cenſor extincti potuit decoris.
Hic tamen ſceptro populos regebat
Quos videt condens radios ſub undas
Phœbus, extremo veniens ab ortu:
Quos premunt ſeptem gelidi Triones;
Quos Notus ſicco violentus æſtu
Torret, ardentes recoquens arenas.
Celſa nùm tandem valuit poteſtas
Vertere inſani rabiem Neronis?
Heu! gravem ſortem; quoties iniquus
Additur ſævo gladius veneno.

TUM ego : Scis, inquam, ipsa minimùm nobis ambitionem mortalium rerum fuisse dominatam : sed materiam gerendis rebus optavimus, quò ne virtus tacita consenesceret. Et illa : Atqui hoc unum est quod præstantes quidem naturâ mentes, sed nondùm ad extremam manum virtutum perfectione perductas allicere possit, gloriæ scilicet cupido, & optimorum in rempublicam fama meritorum : quæ quàm sit exilis & totius vacua ponderis, sic considera. Omnem terræ ambitum, sicuti astrologicis demonstrationibus accepisti, ad cœli spatium puncti constat obtinere rationem ; id est, ut, si ad cœlestis globi magnitudinem conferatur, nihil spatii prorsùs habere

judicetur. Hujus igitur tam exiguæ in mundo regionis quarta ferè portio est, sicuti Ptolemæo probante didicisti, quæ à cognitis nobis animantibus incolatur. Huic quartæ si quantum maria paludesque premunt, quantùmque siti vasta regio distenditur, cogitatione subtraxeris, vix angustissima inhabitandi hominibus area relinquetur. In hoc igitur minimo puncti quodam puncto circumsepti atque conclusi de pervulgandâ famâ proferendoque nomine cogitatis? At quid habet amplum magnificumque gloria tam angustis exiguisque limitibus arctata? Adde quòd hoc brevis habitaculi septum plures incolunt nationes linguâ, moribus, totius vitæ ratione distantes, ad quas

tùm difficultate itinerum, tùm loquendi diversitate, tùm commercii insolentiâ, non modò hominum singulorum, sed ne urbium quidem fama queat pervenire. Ætate denique M. Tullii, sicut ipse quodam loco significat, nondùm Caucasum montem Romanæ reipublicæ fama transcenderat; & erat tunc adulta, Parthis etiam cæterisque id locorum gentibus formidolosa. Videsne igitur quàm sit angusta, quàm compressa gloria, quam propagare ac dilatare laboratis? An ubi Romani nominis transire fama nequit, Romani hominis gloria progredietur? Quid, quòd diversarum gentium mores inter se atque instituta discordant, ut, quod apud alios laude, apud alios suppli-

cio dignum judicetur? Quo fit ut, si quem famæ prædicatio delectet, huic in plurimos populos nomen proferre nullo modo conducat. Erit igitur pervagatâ inter suos gloriâ quisque contentus, & intrà unius gentis terminos præclara illa famæ immortalitas coarctabitur. Sed quàm multos suis clarissimos temporibus viros scriptorum inops delevit oblivio! Quanquam quid ipsa scripta proficiunt, quæ cum suis authoribus premit longior atque obscura vetustas? Vos autem immortalitatem vobis propagare videmini, cùm futuri famam temporis cogitatis. Quod si ad infinita æternitatis spatia pertractes, quid habes quòd de tui nominis diuturnitate læteris? Unius etenim mora momenti,

si decem millibus conferatur annis, quoniam utrumque ſpatium definitum eſt, licet minimam, habet tamen aliquam portionem. At hic ipſe numerus annorum, ejuſque quantùmlibet multiplex, ad interminabilem diuturnitatem ne comparari quidem poteſt. Etenim finitis ad ſe invicem fuerit quædam, infiniti verò atque finiti nulla unquam poterit eſſe collatio. Ita fit ut quantùmlibet prolixi temporis fama, si cum inexhauſtâ æternitate cogitetur, non parva ſed planè nulla eſſe videatur. Vos autem niſi ad populares auras ineſque rumores rectè facere neſcitis; &, relictâ conſcientiæ virtutiſque præſtantiâ, de alienis præmia ſermunculis poſtulatis. Accipe in hujus

modi arrogantiæ levitate quàm festivè aliquis illuserit. Cùm quidam adortus esset hominem contumeliis, qui non ad veræ virtutis usum sed ad superbam gloriam falsum sibi Philosophi nomen induerat, adjecissetque jam se sciturum an ille philosophus esset, si quidem illatas injurias leniter patienterque tolerasset; ille patientiam paulisper assumpsit, acceptâque contumeliâ velut insultans, *jam tandem*, inquit, *intelligis me esse philosophum?* Tùm ille nimiùm mordaciter, *intellexeram*, inquit, *si tacuisses*. Quid autem est quod ad præcipuos viros, de his enim sermo est qui virtute gloriam petunt; quid, inquam, est quod ad hos de famâ post resolutum morte supremâ cor-

pus attineat? Nam si, quod nostræ rationes credi vetant, toti moriuntur homines, nulla est omninò gloria; cùm is, cujus ea esse dicitur, non exstet omninò. Sin verò sibi mens benè conscia, terreno carcere resoluta, cœlum libera petit; nonne terrenum omne negotium spernet, quæ cœlo fruens terrenis se gaudet exemptam?

QUICUMQUE solam mente præcipiti petit
Summumque credit gloriam,
Latè patentes ætheris cernat plagas
Arctumque terrarum situm;
Brevem replere non valentis ambitum
Pudebit aucti nominis.
Quid ô! superbi colla mortali jugo
Frustra levare gestiunt?
Licet remotos fama per populos means
Diffusa linguas explicet,
Et magna titulis fulgeat claris domus,
Mors spernit altam gloriam:
Involvit humile pariter & celsum caput,

æquatque summis infima.
Ubi nunc fidelis ossa Fabricii jacent?
Quid Brutus, aut rigidus Cato?
Signat superstes fama tenuis pauculis
Inane nomen litteris.
Sed quid decora novimus vocabula?
Nùm scire consumptos datur?
Jacetis ergò prorsùs ignorabiles,
Nec fama notos efficit.
Quòd si putatis longiùs vitam trahi
Mortalis aurâ nominis:
Cùm sera vobis rapiet hoc etiam dies,
Jam vos secunda mors manet.

SED ne me inexorabile contrà fortunam gerere bellum putes, est aliquando cùm de hominibus fallax illa non nihil benè mereatur; tùm scilicet cùm se aperit, cùm frontem detegit moresque profitetur. Nondùm forte quid loquar intelligis. Mirum est quod dicere gestio, eòque sententiam verbis explicare vix queo. Etenim plus hominibus ad-

versam reor, quàm prosperam, prodesse fortunam. Illa enim semper specie felicitatis, cùm videtur blanda, mentitur: hæc semper vera est cùm se instabilem mutatione demonstrat. Illa fallit, hæc instruit: illa mendacium specie bonorum mentes fruentium ligat: hæc cognitione fragilis felicitatis absolvit. Itaque illam videas ventosam, fluentem, suîque semper ignaram: hanc sobriam succinctamque, & ipsius adversitatis exercitatione prudentem. Postremò felix à vero bono devios blanditiis trahit; adversa plerumque ad vera bona reduces unco retrahit. An hoc inter minima æstimandum putas, quòd amicorum tibi fidelium mentes hæc aspera, hæc horribilis for-

tuna detexit; hæc tibi certos ſodalium vultus ambiguoſque ſecrevit; diſcedens ſuos abſtulit, tuos reliquit? Quanti hoc integer &, uti videbaris tibi, fortunatus emiſſes! Deſine nunc amiſſas opes quærere; quod pretioſiſſimum divitiarum genus eſt, amicos inveniſti.

Quod mundus ſtabili fide
Concordes variat vices;
Quod pugnantia ſemina
Fœdus perpetuum tenent;
Quod Phœbus roſeum diem
Curru provehit aureo,
Ut, quas duxerit Heſperus,
Phœbe noctibus imperet;
Ut fluctus avidum mare
Certo fine coerceat,
Ne terris liceat vagis
Latos tendere terminos:
Hanc rerum ſeriem ligat
Terras ac pelagus regens,
Et cœlo imperitans Amor.
Hic ſi fræna remiſerit,

Quidquid

Quidquid nunc amat invicem
Bellum continuò geret :
Et, quam nunc sociâ fide
Pulcris motibus incitant,
Certent solvere machinam.
Hic sancto populos quoque
Junctos fœdere continet :
Hic & conjugii sacrum
Castis nectit amoribus :
Hic fidis etiam sua
Dictat jura sodalibus.
O felix hominum genus!
Si vestros animos Amor,
Quo cœlum regitur, regat.

Explicit operis de Consolatione Philosophiæ pars prima.

